

644 6487

10



BX890

C3

V.1

c.1



1080043087


MELCHIORIS  
CANTUUM  
OPERA

---

---



BIBLIOTHECA MUSEI  
HISTORICO-NATURALIS  
MUSEI LINDENSIS



MELCHIORIS  
CANI  
OPERA.

---


---



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

215

MELCHIORIS  
CANI  
OPERA



BIBLIOTECA PÚBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

MELCHIORIS CANI  
EPISCOPI  
CANARIENSIS,  
EX ORDINE PRÆDICATORVM,  
OPERA,

In duo volumina distributa,  
IN HAC PRIMVM EDITIONE CLARIVS DIVISA,

Et præfatione instar Prologi Galeati illustrata,

A P. HIACINTHO SERRY  
DOCT. SORBON.

Et in Pat. Lycæo S. Theolog. primar. profess.

TOMVS I.



110293

MATRITI

E Typographia Regia (vulgo de la GAZETA)

M. DCC. LXIV,

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

37495

MELCHIORIS CANI  
FR. IOANNI DE BOXADORS  
ET ROCABERTI,  
ORDINIS PRÆDICATORVM  
GENERALI MAGISTRO,

Bx890  
C3  
1764  
1764

In duo volumina distributa  
IN HAC PRIMAM PARTIEM CLARIUS DIVISA  
Et præfatione illustra Prologi Galcani illustrata  
A. P. HIACINTHO SERRA  
DOCT. SORBON.

Et in Par. Lycæo S. Theolog. primar. profess.  
TOMVS I.  


BTypographia Regia (vulgo de la Cour)  
M. DCC. LXXV.  
CVM PERMISSV APTERTORVM

EXC. MO AC REV. MO PATRI  
FR. IOANNI DE BOXADORS  
ET ROCABERTI,  
ORDINIS PRÆDICATORVM  
GENERALI MAGISTRO,  
S. P. D.

*Franciscus Emmanuel de Mena.*



ILLVSTRISSIMVS MELCHIOR CANO,  
inter præcipuos, qui sua ætate  
vere theologiæ laudibus flo-  
ruere lumen fulgentissimum,  
in eos qui a recta eam traden-  
di, addiscendique ratione aberrabant, hæc  
verba protulit (\*): *Hoc vero seculo fuis-  
se etiam in academiis multos, qui omnem*  
*fer-*

(\*) Lib. IX. cap. i.

ferme theologiæ disputationem sophisticis,  
ineptisque rationibus transfegerint, utinam  
ipsi non fuisset experti. Egit autem dia-  
bolus, quod sine lachrymis non queo dicere,  
ut quo tempore adversum ingruentes ex Ger-  
mania hæreses oportebat scholæ Theologos  
optimis esse armis instructos, eo nulla pror-  
sus haberent, nisi arundines longas, ar-  
ma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt  
a plerisque, ac merito irrisi quoniam ve-  
ræ theologiæ solidam effigiem nullam tene-  
bant, umbris utebantur, easque ipsas uti-  
nam sequerentur. Feruntur enim, scriptu-  
ræ sacræ principiis, cuius isti vel umbras  
non sunt assecuti. Quocirca homines verbo  
tenus in theologia magistri pugnare illi  
quidem adversum ecclesiæ inimicos, sed val-  
de tamen infeliciter. Male enim se res ha-  
bet, cum quod ingenio, & eruditione ef-  
fici debet, id tentatur a viris, qui & in-  
genio parum valent, nec sunt admodum eru-  
diti. Errabant illi autem a principio sta-  
tim studiorum suorum. Cum enim faculta-  
tes eas, quæ linguam expoliunt, mirum in-  
modum neglexissent, cumque sese in sophi-  
stica arte torfissent diutius, tum demum  
ad

ad theologiæ aggressi, non theologiæ,  
sed fumum theologiæ sequebantur. Quod si  
vituperandi sunt, qui per ignorantiam er-  
raverunt, quid de iis existimandum est,  
qui volentes & prudentes in errorem inci-  
derunt? Nam cum rem perditam & col-  
lapsam sua restituere auctoritate deberent,  
tempori, ut inquit, servientes non mo-  
do sophismata non profligarunt, verum  
etiam auxerunt. Neminem latet quam ube-  
res fructus studio sacrarum literarum ea  
tempestate clarissimus auctor, æquo plau-  
su a nostris iuxta ac ab exteris exceptus,  
doctrina sua attulerit. Cum autem ex fre-  
quenti cum doctis prudentibusque Theo-  
logis consuetudine didicerim, etiamnum  
non pauca ex vitiis, quæ auctorem no-  
strum in præfata verba erumpere coege-  
runt, late dominari: rem me gratam orbi  
literario facturum existimavi, si denuo præ-  
lo egregium opus committi curarem. Eo-  
rundem enim constans sententia est eos om-  
nes, qui illud versent diurna nocturna que  
manu, maximos ex sacris literis fructus re-  
portaturos, quemadmodum ii omnes sunt  
assecuti, qui assidua attentaque lectione  
quæ

quæ in eo continentur perpenderunt. Is unus mihi scopus fuit. Atque id etiam in causa est cur, nihil cunctatus, operi præstantissimo, ab alumno clarissimi ordinis Prædicatorum, qui in conspectu Domini pretiosus est, elucubrato, nullum alium patronum quæram quam Rev. Paternitatem vestram, qui tam prudenter, tamque vigilanter inclyti istius ordinis habenas moderatur. Cum enim redit exundans doctrinæ flumen ad limpidissimos fontes unde profluxerat: tum etiam nihil aptius, mea quidem opinione, cogitari potest, ut id adipiscamur quod in operis nunquam satis laudati editione præ oculis habemus, quam Rev. Pat. vestram in eius patronum seligendo. Luce enim meridiana clarius est me id effecturum tuis auxiliis, atque exemplo tot tamque insignium tui præclari ordinis Theologorum, qui ardentissimo religionis zelo accensi, ecclesiæ catholicæ doctrinam solide defendunt atque illustrant. Quibus rebus cum id quod animo conceperam absolvatur, supervacaneum duxi in domus tuæ præexcelsæ BOXADORS & ROCA-BERTI, nulli non notæ, tuique ipsius laudi-

dibus evagari. Hæ enim maiores sunt, quam ut tenui eloquentia mea recenseri debeant, aut possint, neque ab eloquentissimo quocumque angustis epistolæ limitibus concludi queunt; atque id unum certe assequeretur ut R. P. V. modestia abuti viderer. Deus optimus maximus te diu servet incolumem.



# ELENCHVS EORVM,

QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Melchioris Cani Vindicationes, quibus nonnullorum in eius libros de Locis Theologicis accusationes refelluntur.

Eiusdem Locorum Theologicorum decem priores libri.

CENSURA FR. RODERICI VALDILÆI  
Benedictini, Sacrae Casareae Maiestatis a sacris  
concionibus, in libros de Locis Theologicis Adm.  
R. P. Fr. Melchioris Cani, sancti Dominici  
monachi, episcopi Canariensis.

DE mandato Regii senatus, opus, cui titulus est: *De Locis Theologicis*, Adm. Rev. Magistri Fratris Melchioris Cani, ordinis Sancti Dominici monachi, olim Canariensis episcopi inspiciendum, ac excutiendum accepi. Laborem sane viribus ingenii mei longe disparē sentiens, non sum averfatus, tum ob tanti senatus dignitatem, cuius obsistere imperio citra gravissimi criminis notam haud licebat; tum ob eiusdem operis magnam toti ecclesiae utilitatem futuram. Adde, quod eiusdem auctoris elucubrationes, hanc praesertim, perlegendi magno tenebar desiderio. Itaque legi, evolvi, perlegi praesens opus. Sed, quid potissimum in tanto quidem opere laudem, vix dicere queo. Nam si dictionis castitatem & elegantiam quaeras, eam certe reperies, quae cum Ciceroniana conferri possit. Si vero rerum gestarum historiam, rationemque tractandae historiae requiras, Sallustio Historico satis laudato, si non superiorem, inferiorem profecto non invenies. Si autem Philosophiae subtilem accuratamque rationem percupias, hic compendio omnem Platonicae, Aristotelicaeque disciplinae rationem cumulatissime contemplari licebit. Si vero Theologiae Scholasticae capiaris argumento, post Div. Thomam (quem semper excipiendum duxi) nullo ex multis, qui de hac familia docte ac diserte scripserunt, inferiorem iudicare licebit, ita ut vere illius non satis laudati magistri fratris Francisci a Victoria discipulum eximium agnoscere possis, cui omnes suos is auctor (quae non eius prudentiae, eruditionis, modestiae ac humilitatis laus minima existimanda est) progressus in re Theologica refert acceptos. Porro si iuris pontificii (cui auctor non contemnendam dedit operam) affectes peritiam, ex huius monachi laboribus compendiarum tractandi eiusdem iuris rationem

nem petere licebit. Iam vero si sacrarum profunda literarum mysteria perferre, ac peruestigare cures, nullo post illos magnos sanctæ ecclesiæ doctores, magistro plenius, ac clarius discas. Quid dicam de eo, quo adversus omnes hæreticos zelo accendebatur? quos sane ceu venaticus procul odorabatur canis, persequebaturque, magni illius Athanasii incorruptos, ac catholicos referens mores ac fortes labores: quos omnes pro catholicæ veritatis amore instar magni patriarchæ Iacobi facile perpetiebatur. Ceterum tanti auctoris utilitatem, doctrinam, omniumque disciplinarum tractandarum rationem, christiane lector, Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Hispalensi, Ferdinando Valdesio, supremo rerum fidei cognitori (quem huius præclari operis hæredem reliquit) acceptam refero, qui summo curavit studio, ut præsens opus in lucem omnium utilitati profuturum ederetur. Nec minor, studiose lector, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Gasparo de Zuñiga, Archiepiscopo Compostellano, Summo sacræ Cæsar. Maiest. Capellano gratia debetur, qui pro ea necessitudine, qua auctori devinctus erat, summopere studuit, ut quam brevi tam insigne opus in lucem ederetur. Quapropter opus tam elegans, eruditum, omniumque disciplinarum genere refertissimum (ut prætermittam valde catholicum, hisque calamitosi temporibus apprime utile, immo dicam necessarium) excudendum, non solum magna cum laude totius sanctissimi Patris Dominici ordinis, sed etiam totius Hispaniæ, immo ecclesiæ Catholicæ, oppido duximus. Matriti 15. die mensis Augusti, anni Dominici MDLXII.

*Rodericus Valdilaus.*

MEL-

# MELCHIORIS CANI

## VINDICATIONES, QUIBUS NONNVLLO RUM IN EIUS Libros de Locis Theologicis accusatio- nes refelluntur.

CAPVT PRIMVM.

*Egregia Virorum Illustrium de Melchione Cano  
testimonia.*

NICOLAUS ANTONIVS HISPALENSIS  
I. C. in Bibliotheca Hispanica.

**F**R. Melchior Canus, vulgo Cano; Prædicatorum so-  
dalis, oppidum quoddam Toletanæ Diocesis Ta-  
racon appellatum patriam fortitus mihi videtur fuisse. Ibi enim edita est Anna eius soror, Melchioris alterius Cani, qui in eadem Dominicana familia excellentem vivus, moriensque pietatis famam sustinuit, mater: quod Monopolitanus Episcopus, historiæ huius ordinis, part. 4. libr. 3. cap. 31. disertè affirmat. Parentis ipse meminît initio lib. 11. de Locis Theologicis, Viennæ Austriæ tunc extincti, cum absolvisset is superiorem huic librum; cuius quidem causa, non solum se hunc laborem suscepisse, sed & ei nuncupaturum, si viveret, fuisse ait. Nomen autem cur reticuit eius, quem dignum hoc munere, & apud mortales, qualis ille fuit, reliquum esse nullum, vir doctissimus & prudentissimus non temere ac impotenter dixisse credendus est. Dominicanis se aggregavit Salmanticiæ  
ad